

4.19.19

*Idem AA. et CC. Menandro.*

Exceptionem dilatoriam opponi quidem initio, probari vero, postquam actor monstraverit quod adseverat, oportet.

*D. XVI k. Dec. Nicomediae CC. cons.*

[a. 294]

4.19.20

*Idem AA. et CC. Phronimae.*

Si de possessione servitutis emptionis instrumentis subtractis in libertatem proclamat Eutychia, cum petitori probationis onus incumbat, intentione sua defecta his iuvari minime potest, nam si in servitutum petatur, ad emptionis probationem non est iudicium aliis opus, sed instrumentorum furtum monstrare sufficit,

*III non. Dec. Nicomediae CC. cons.*

[a. 294]

4.19.21

*Idem AA. et CC. Crispo.*

Ad probationem uti dominii aliena subtrahentes instrumenta his minime possunt, quippe cum horum lectio non recitantes, sed quem tenor scripturae designat, adiuvat. 1 ¶ Cum itaque nec cetera probationum indicia reprobentur, iure competenti praediorum, quae in quaestionem veniunt, dominium ad te ostende pertinere, nam res vindicantes ab emptore suos numeratos nummos adseverantes erga probationem laborare non convenit, si quidem huiusmodi, licet probetur, factum intentioni nullum praestet adminiculum.

*S. VI id. Dec. Singiduni CC. cons.*

[a. 294]

4.19.22

*Idem AA. et CC. Agathocleae.*

Ad probationem servitutis Glyconis matrem eius ac fratrem servilia fecisse ministeria non sufficit, cum neque ingenuorum coniventia coniunctis necessitudine praepudicet neque de servis ex eadem matre natis unus libertatem adipisci prohibeatur.

*D. VIII k. Ian. ipsis CC. cons.*

[a. 294]

4.19.23

*Idem AA. et CC. Menelao.*

Actor quod adseverat probare se non posse profitendo reum necessitate monstrandi contrarium non adstringit, cum per rerum naturam factum negantis probatio nulla sit.

*D. VIII k. Ian. CC. cons.*

[a. 294]